



## The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KINGSTONENSIS ET ALIARUM**

**(REGIOPOLITANAE IN IAMAICA)\*** NOVA IN IAMAICA PROVINCIA ECCLESIASTICA CONSTITUITUR,

«REGIOPOLITANA IN IAMAICA» COGNOMINANDA,

CUIUS ERIT ECCLESIA METROPOLITANA KINGSTONENSIS. Christi gregem pascere id a Nobis praecipue exoptulat ac poscit ut, quatenus opus sit, Ecclesias per orbem terrarum quam apte disponamus; quod profecto, si consilio et ratione fiat, multas solet importare utilitates, et creare commoda, et ferre emolumenta fidelibus. Quam ob rem, cum Sacra Congregatio de Propaganda Fide, re bene reputata atque consilio audito venerabilis Fratris Mariae Iosephi Lemieux, Archiepiscopi titulo Salditani atque Apostolici in Haitiana Republica Nuntii, ut Iamaica, Bahamas, Bermudas fierent provincia ecclesiastica, Nos hoc maxime utilitati cedere posse existimantes, haec quae sequuntur decernimus atque iubemus. In dictis insulis novam provinciam ecclesiasticam condimus, *Regiopolitanam in Iamaica* appellandam, cuius metropolitana Sedes erit Ecclesia Kingstonensis, quae fuit adhuc Sanctae Sedi directo subiecta, suffraganeae autem dioeceses Nassaviensis et Hamiltonensis in Bermuda, item hactenus Apostolicae Sedi subiectae, atque Sinus Sereni, hac ipsa die condita. Censemus, praeterea, ut venerabilis Frater Ioannes Iosephus McEleney, ad hunc diem Episcopus Kingstonensis, Archiepiscopi dignitate honestetur atque Metropolitanae totius provinciae Regiopolitanae in Iamaica. Quae autem per has Litteras Nostras praecepimus venerabilis Frater Maria Iosephus Lemieux, cuius mentionem fecimus, ad exitum adduci studebit, vel quem ille delegabit, factis nempe omnibus potestatibus. Re autem confecta, documenta exarentur, atque sinceræ fidei exempla ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide cito mittantur. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum die quarto decimo mensis Septembris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostris quinto.*

Pro S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens* Josephus Del Ton, *Protonot. Apost.*

Eugenius Sevi, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LX (1968), n. 4, pp. 177-178 © Copyright 1967 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana